ut Chriſtus inſtituit, pie & religioſe obſeruent, eos nequaquam à noſtra amicitia alienamus. Dum hic uiuimus, erroribus & peccatis ſumus obnoxij omnes, neque eſt, qui auſit ſe iactare ſcripturæ omnia intelligere. Vt ergo infirmos moribus non abijcere, ſed in ſpiritu lenitatis inſtaurare, ita & infirmos in fide, & intelligentia ſcripturarum, non ad rixoſam diſceptationem, ſed manſuetam ædificationem ſuſcipere, monente Paulo optamus. Dixi ſupra, legis abrogationem plenitudinémque gratiæ à ſanctis Apoſtolis, atq; adeo fratre Domini, ſero admodũ perceptam, quid mirum ſi & nobis uſu ueniat in elementis aliquantulum hærere?

Quòd autem ab alijs circa hæc durius, quàm Chriſtianã deceat charitatẽ & modeſtiã, cõtenditur, in iuſtũ domini iudiciũ referendum eſt, qui ita nos uult probare, ut ſentiamus, quantum in abnegatione noſtri, & dilectione proximi promouerimus, ſi ab ipſius uerbo, uel hominum laruis pendeamus. Infirmi interim perturbantur quidem, qđ ſanè ijs, qui huic ſua culpa cauſſam præbent, ut ſcandalon obijcientibus, iudicium domini adducet, tandem tamen electis in bonũ omnia cedent. Lutherus noſter per quem certe, incomparabilia nobis Dominus præſtitit, et hodie præſtat, hic admodum uehemens eſt, cauſſam nos exiſtimamus, immenſum ſcripturæ zelum, cuius ſynceritatem negata corporali præſentia Chriſti in pane, uiolari non dubitat. Iam quantum pro ſcripturæ ſynceritate decertare, quamq; pugnaci ſtylo, ut ipſe non nunquam lenitatem, in ſuis XXIII.

Hæc diritas & ſacrilegium huius præfationis.

Lutherus

http://digital.slub-dresden.de/ppn356424804/29